Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aquas; Tu qui non uis uenire ad aquas. qui fugis
in auribus tuis aurire propheticorum uerba sanctorum!
quomodo potes ornatus esse in doctrina! ornatus
in actibus! Ornatus in moribus? sed ut omit-
tamus plurima! neque enim commendandi nunc
tempus est. sed aedificandi ecclesiam dei. Et pigriores
ad desiderium auditores. exemplis sanctorum. et mys-
ticis explanationibus prouocandi. Secuta pue-
rum rebecca. uenit ad isaac. Secuta uenit sermonem
propheticum. ecclesia uenit ad xpm. Ubi eum
inuenit? ad puteum inquit iuramenti deambu-
lantem; Numquam recedit a puteis. numquam desistit
ab aquis; Rebecca inuenitur ad puteum. rursum
rebecca ad puteum inuenit isaac; Ibi primus eius
contemplatur aspectus. ibi desilit de camelis.
ibi a puero sibi demonstratum uidet isaac; Haec
putas sola referri de puteis? Et iacob ad puteum
uenit. et ibi inuenit rachel. ibi innotescit ei
rachel bona oculis. et decora conspectu. Sed
et moyses ad puteum inuenit sefforam filiam
raguhel; Non dum moueris. ut haec intellegas
spiritaliter dici? aut putas casu semper contingere.
Ut patriarche ad puteos ueniant. et ad aquas
coniugia sortiantur? Qui haec ita putat